

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Sapientia uel scientia I  
cum fonte primo

Huius mundi, inquit, sapientia est cor  
machinationibus tegere, sensum uerbis  
uelare, quae falsa sunt uera ostendere,  
quae uera sunt falsa demonstrare.

Hanc qui sciunt  
ceteros superbiendo despiciunt; hanc  
qui nesciunt subiecti et timidi in  
aliis ipsam mirantur.

Hec sibi obsequentibus praecipit  
honorum culmina querere, adepta  
temporalis gloriae uanitate gaudere,  
irrogata ab aliis mala multiplicius  
reddere, cum uires suppetunt nullis  
resistentibus cedere, cum  
uirtutibus possibilitas deest,  
quicquid per maliciam explere non ualet,  
hoc in pacifica bonitate simulare.

Gregorius X. moralium exponens illud  
Iob XII: Deridetur iusti simplicitas.

Huius mundi sapientia est, cor  
machinationibus tegere, sensum uerbis  
uelare quae falsa sunt uera ostendere,  
quae uera sunt fallacia demonstrare.  
Haec nimirum prudentia usu a iuuenibus  
scitur; haec a pueris pretio discitur,  
hanc qui sciunt  
ceteros despiciendo superbiunt; hanc  
qui nesciunt subiecti et timidi in  
aliis mirantur, quia ab eis haec eadem  
duplicitas iniquitatis, nomine palliata,  
diligitur, dum mentis peruersitas  
urbanitas uocatur.

Haec sibi obsequentibus praecipit  
honorum culmina quaerere, adepta  
temporalis gloriae uanitate gaudere,  
irrogata ab aliis mala multiplicius  
reddere, cum uires suppetunt nullis  
resistentibus cedere, cum  
uirtutis possibilitas deest,  
quicquid explere per malitiam non ualet,  
hoc in pacifica bonitate simulare.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 10,  
29 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.570-  
1, ll.1-14).